



Martinus natus est honestis parentibus Martino Luthero & Margaretha Islebiæ in Saxonia, die Octob. anno salutis 1483. Erat is felici ingenio & moribus placidis natura præditus. Itaque parentes eum bonis literis addicarunt, atque domi bonis preceptoribus commendarunt, ut prima artium & linguarum fundamenta poneret. Cum uero quatuordecim annos natus esset, Magdeburgum ad scholas mittitur, ibique per annum permanet. Erat tum celeberrima schola Isenaci. Vnde eò se contulit, atque per annos quatuor ibidem magna diligentia opera literis dedit. Ab eo loco Erdfurdiensem Academiam uisitauit, atque anno ætatis uicesimo artium liberalium

Magister creatus fuit. Statuerat ipse primo ex parentum uoluntate lorisprudentiae operam dare, atque iam aliquò usque progressus erat. Verum huius uitae fragilitatem considerans, illud studium reliquit, atque Theologiæ incumbere proposuit. Id ut commodius perficeret, statim sequenti anno 1504 inscijs parentibus Erdfurdię collegium Eremitarum S. Augustini ingressus, eum ordinem suscepit. Ibi per quatuor annos indefesso studio Biblia legit & relegit, ac S. Augustini scripta coniunxit. Cum hoc modo libris inhæreret, Fridericus elector Saxoniæ Vittenbergæ Academiam fundauit, atque in eo ipsius Iohannis Stupicij ordinis Augustinianorum Vicarij generalis opera usus fuit. Is cum Lutheri doctrinam & pietatem intellexisset, ipsum ad se Vittenbergam uocauit, ut sacras literas aliquando profiteretur. Itaque suo Magistratui obtemporens, anno 1508 Vittenbergam uenit, atque docendo in scholis, & prædicando in templis sese plurimum exercuit. Erat autem tum inter monachos magnum dissidium exortum, hinc factum ut Lutherus anno 1511 Romanam mitteretur, ut eam rem compонeret. Ibi Romanam curiam uidit, & mores prælatorum cognouit. Cum Vittenbergam rediisset, Stupicij hortatu Doctoris Theologie gradum assumpsit, Friderico electore, qui Lutheri doctrinam admirabatur, omnem ei sumptum præbete. fuit id anno ætatis tricesimo. Postea statim Psalmos Davidis explicauit, & Pauli epistolam ad Romanos exposuit. Cum etiam discrimen legis & Euangeli optimè intellexisset, admonuit hominem non suis operibus, sed si de coram Deo iustificari. Bona autem opera fidem, ut umbra corpus, necessario sequi. Ea autem quæ docebat, ipse primus præstabat, atque singularem modestiam & humanitatem omnibus declarabat. Erat etiam moribus pudicis & rara prudentia insignis. Id etiam effecit, ut ab omnibus studiosis unicè diligenteretur.